

rum quod attinet, nec scriptum nec studium illius, quod Astrologorum quorundam ineptiis [circa Eclipsin An. Chr. 1654. præcipuè ut conjicio] opposuit, mihi improbatur. Vellem autem resurgeret Kepplerus aliquis, qui ut olim *Tertium intervenientem* egit, inter D. Eliam Roslinum, Astrologorum superstitionibus plus justo tribuentem, & D. Philippum Feselum, totam Astrologiam rejicientem, ita nunc idem susciperet. Ut enim expedit, rei literariæ, abduci studiosos à stolidis & superstitionis opinionibus; ita haud scio an non contra plus obsit iis, quod scientiâ veræ operationis Astorum, & tanto illius fructu, quantum nemo, nisi qui ad experientiam attendit, satis æstimat, sub specie superstitionis [quasi scilicet quicquid de Astris dicitur supersticiosum esset] priventur. Superstitiones enim cuius cordato per se fere patent; Astorum verò virtutes veras in tanta varietate cognoscere & discernere, si esset cujusvis, non haberet tot invidos; Ars enim non habet osorem, nisi ignotantem.

Quæstio VIII.

An Watsonius rectè tractet doctrinam stellarum fixarum, & de soliditate orbium cœlestium?

§. 1. Ratio cur negem Watsonium rectè hîc tractare quod tractandum suscepit, est, quòd pag. 535. tantum Chaos proponat effatorum de stellis partim falsorum, partim obscurorum, ut etsi vera quædam admisceat, quid tamen vel probare vel improbare cum ipso debeas, ex ipso colligere nunquam possis. Quærit inter alia: *An singula stella moveantur in circulis expansi sui, an ut volucres in aère, pisces in aqua?* hoc ait determinandum telescopio adducto Borello in *Telescopio*, quem non intelligit, ipse autem inscitiam prodit in re de qua ferre audet iudicium. Figura & similia in stellis rectè explorantur per Telescopium. An autem liberè moveantur, an verò cum orbibus, quibus affixi sunt, quemadmodum & id quod paulo pòst de longitudine & latitudine dicit, si sensu ab Astronomis recepto intelligit, quomodo per telescopium observetur, si ostenderit Watsonius artificii noviter inventi laudem à me reportabit. Addit: *Omnes stellas unico tantum motu in diversis aut contrariis moveri*: hoc quatenus verum vel falsum sit, scientii, qui Theorias Planetarum & rationes earundem Physicas intelligunt, [quibus cur Watsonium annumerem,